Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1147
Quelle:
Copyright:

mens est. dum recolit memoria est. dum iudicat ratio est. dum spirat spiritus est. dum sentit sensus est. Atque haec paene κατα λεξιν occurrunt L. I. *Etherii* et *Beati contra Elipandum* scripto Sec. VIII. *Bibl. PP. Lugd.* T. XIII. p. 377. Quemadmodum et *Cap. de dignit. creationis Diaboli* iisdem autoritatibus Noster utitur, quibus *Hildebertus Cenoman.* in *Tract. Theol.* edit. *Paris.* 1708. c. 20. *col.* 1058. Abruptum autem, vel interruptum saltem illum credo;

Fol. 30. hic enim ἀνεπιγραφως orditur *Catechesis* quaedam *liturgica* hujusmodi: *Quare in Nocturnali officio dicimus primo. domine labia mea aperies? Ideo quia prodest quando in nocte conuenimus commendamus nos domino qui concludimus ora nostra cum multis uanis fabulis.* &c. A Liturgicis transitur ad Quaesita de Lege, de Praeceptis, praecipue Decalogi, quae exponuntur, de Prophetia, de Poenitentia, atque hactenus sine rubricis; deinceps vero, *De symonia. De elemosina. De clauibus ecclesie*, ubi inter alia: *A romanis igitur pontificibus vicariis petri claues et curam pastoralem habent, quicumque habent. Primi uero ad quos deriuata est, pontifices sunt, a pontificibus vero ad sacerdotes usque descendit. De legitimo Conjugio.* Prolixa tractatio plena *Canonibus* Conciliorum et *Decretis*, quae etiam apud *Reginonem*, *Burchardum* et *Ivonem* occurrunt. *De Excommunicatione*, cui Rubricae, nescio quo consilio, adscripta est Quaestio: *Utrum anima christi susceptrix deitatis plenam omnino habeat noticiam. De accessu baptismatis. De Sacramento bapt. De Confirmationis dignitate. De Corpore domini*, cui iterum adhaeret Quaestio: *Si fames numeretur inter penas peccati?* et alia quaedam Excerpta praecipue ex *Augustino*, in quibus Codex deficit, qui, si unum modo complectatur Opus, partes certe mire confusas et trajectas habet. Interim nihil vetat posteriorem hanc partem pertinere ad Frontis Titulum sive *Sententias Divinitatis;* nam et Magister Sententiarum ea, quae de Sacramentis sunt, *Libro* IV. pertractat. In toto porro Codice regnat *Augustinus*, et ab eo *Ambrosius*. Autores recentissimos citari video *Rabanum*, *Hincmarum*, *Gregorium VII. Berengarium Turonens.* mortuum a. 1088. cujus Revocationis in Concilio *Rom.* 1059. factae Formula, prout extat P. III. *Decreti Dist. II. de Consecratione Parte* 16. et in *Ivonis Decreto* P. II. c. 10. habetur nobis *fol.* 90. ita tamen, ut inter verba: *non solum sacramentum sed*, et: *in ueritate manibus sacerdotum* &c. omissum sit: *etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed*, quod oscitantiae potius, quam fraudi tribuerim. Atque ex his conficitur, Partem saltem posteriorem Codicis, qua Jus Canonicum respicit, non ante Seculi XI. finem compilari potuisse. An vero Pars prior reipsa ad *Abailardum* pertineat, non nisi ex adcuratiore con-